

quidem impari, sed tamen ulterius peccandi voluntatem excludente, sacramenta conficit aut administrat. Si enim prior sancta sancte tractare censetur, quidni posterior?

Resp. neg. conseq. Ratio disparitatis duplex: prima, quod nec Scriptura nec Patres ullibi exigunt ut actu sanctus sit qui officium, seu privatim, seu publice recitat; id vero exigunt de eo cui tractanda incumbunt mysteria salutis nostrae: secunda, quod longe sublimior sit actio ministri sacramenta tractantis, quam canonici psallentis. An is enim dispensat sanguinem Christi? an personam ejus in actione omnium maxima representat? etc. Interim docet Habertus eum graviter peccare qui graviter reus divinis officiis praestit; unde qui praesidentiam hanc ex alterius absentia sibi imminere sentit, debet confestim ad Deum recurrere per actum doloris de peccato.

Dixi 1^o per se loquendo; quia minister ex officio sacramenta conferens, a novo peccato excusari potest, 1^o propter invincibilem sui status ignorantiam; 2^o propter repentinam administrandi necessitatem, quae ita ingruit, ut desit spatium procurandae contritionis; tunc enim de duobus malis eligendum est minus; minus autem malum est ministrare sacramentum in statu peccati, quam illud non conferre illi, v. g., cujus aeterna salus proxime periclitatur.

(61. Circa hunc necessitatis casum duo veniunt notanda: 1^o immunem non fore a peccato eum qui necessitatem hanc praevidere potuisset; ut praevidere possunt et debent qui in amplis nosocomiis, aut in exercitiis ministrant: ii enim, si sapiant, norunt satis, singulis quasi passibus occurrere posse, qui illico absolvendi sint: unde quam hic objicere possent, peccandi necessitas, consequens est et voluta, adeoque imputabilis; 2^o extra casus, seu pueruli animam agentis, seu operarii decidentis a tecto, qui transeuntem sacerdotem mire perturbant, rarum esse ut quis ad omnem contritionis actum impotens sit; eum ad id brevissima quaeque praesentis animi et temporis mora sufficiat.

Dixi 2^o saltem ex officio. An enim presbyter aut laicus qui in casu necessitatis baptizat, sit novi peccati reus, res est inter theologos controversa. Negare videtur S. Thomas quaest. 64, art. 6, ad 3, ubi sic habet: « In articulo tamen necessitatis non peccaret sacerdos aut diaconus baptizando in casu, in quo etiam laicus posset baptizare; sic enim patet quod non exhiberet se ministrum Ecclesiae, sed subveniret necessitatem patienti. » Et ita sentiunt Gonet, Juenin et Habert, etc.

(62. Haec tamen opinio pluribus displicet, et merito: 1^o quia esto laicus in casu necessitatis baptizans non agat ut Ecclesiae minister, agit certe ut minister Christi ejusque personam sustinet, nec minus est minister sacramenti quam sacerdos solemniter baptizans: atqui haec omnia videntur graviter exigere statum gratiae, ne sacramenta, et Christi dignitas et sanctitas graviter laedan-

tur; 2^o quia sicut necessitas non efficit ut sancta sancta non sint, sic nec efficit ut sancte tractari non debeant; 3^o quia, ut notat Gibert., *Consult. 4, De sacram.*, si sacerdos missam ab altero inchoatam continuet, ne imperfectum remaneat sacrificium, haud dubie peccabit lethaliter, nisi eliciat actum contritionis cum proposito quamprimum confitendi: atqui is sacerdos esset tamen solum minister necessitatis, « ergo, ait idem canonista, obstetrix quae centies baptizavit in necessitate, sine ullo contritionis actu, centies peccavit, et, ut mihi quidem videtur, gravius quam sacerdos ad baptizandum ex officio minime obligatus; quia haec necessitatis casum praevidere debuit, non ille. »

Hinc colliges primo, et laicum qui in casu necessitatis baptizat, et sacerdotem qui in eodem casu absolvit, aut unctionem extremam confert, teneri, si licuerit per tempus, ut plerumque licet, excitare se ad contritionem, priusquam haec sacramenta conferant, alias multiplicat peccata pro numero sacramentorum: quia, ut singuli baptismi, et absolutiones singulae totidem sunt actiones integrae et completae. « Et vero, ait Gonet, si homo cui proximum imminet mortis periculum tenetur sub poena lethalis peccati actum contritionis elicere, licet brevissimum ad id habeat tempus: cur a gravi culpa immunis sit qui ab eliciendo contritionis actu absteineat ob brevem quam ad id habet temporis morulam? » Certe brevius temporis spatium, etsi impedit ne quis facile conteratur haud tamen impedit ne conteri possit. Cavendum tamen ministro in hoc perplexitatis casu ne, dum contritionis spiritum in se ascendere molitur, infanti vel moribundo desit.

(63. Colliges 2^o mortaliter etiam peccare sacerdotem qui reus excipit confessiones, etsi animum habeat vel excitandam in se contritionis, vel etiam sua deponendi peccata priusquam poenitenti absolutionem impendat: quia confessionis auditio, licet non sit confectio sacramenti, est tamen actio sacramentalis, utpote ad conficiendum sacramentum proxime ordinata: porro, ait idem theologus: « ut minister consecratus peccet mortaliter in exercitio ministerii, sufficit quod actio, quam elicit, sit factiva sacramenti, vel sacramentalis, id est ad conficiendum sacramentum proxime ordinata, vel distributiva aut applicativa sacramenti jam facti; » prout evincunt probationes superius allatae. Nec nocet quod poenitens sic conficiendo non peccet, quia major esse debet reconciliantis sanctitas, quam reconciliandi.

(64. Colliges 3^o eum qui mortalis noxae sibi conscius eucharistiam ab alio consecratam ministrat, novae mortalis culpae reum fieri. An autem tot admittat peccata quot sine morali interruptione distribuit hostias, parum utile est in praxi, ut alibi advertimus; quia qui id negant, cum Henno fatentur indignam quamlibet distributionem, ultra primam, esse circumstantiam notabiliter ag-

gravantem, utpote quae solitarie sumpta ad grave peccatum sufficiat: unde cum oporteat confiteri circumstantias notabiliter aggravantes, necessum est etiam juxta ipsos, ut in confessione exprimatur vel numerus eorum quibus facta est distributio, vel tempus circiter distributionis. Si tamen sacerdos plures uni hostias simul daret, unius solum peccati reus fieret, quia una tantum esset distributio. Caeterum quia minister sic affectus esse solet, ut omnibus quotquot accederent sacram synaxim praebat, hujus dispositionis, quae sufficit ad peccatum, mentio facienda esset in poenitentiae tribunali, nisi haec a confessario supponeretur.

(65. Colliges 4^o graviter etiam reum videri qui ex officio eucharistiam extra administrationem tangit, seu immediate, puta ut ab uno vase in aliud immittat, seu mediate, ut si eam in processione circumgestet: « quia, ut dicit Dionysius, 1 cap. *Celestis hierarchiae*, immundis nec symbola, id est sacra signa, tangere fas est: unde qui tangunt res sacras, quasi suo officio utentes, peccant mortaliter. Secus autem esset, si in aliqua necessitate aliquid sacrum contingeret, vel exsequeretur in illo casu in quo etiam laicis liceret, sicut... si corpus Christi in terram projectum colligeret. Ita S. Thomas in 4, dist. 24, quaest. 1, art. 3, qu. 5, ad 4, cujus doctrinae postrema pars ex iis quae de ministro necessitatis dicta sunt, limitanda est.

(66. Colliges 5^o et certius graviter peccare qui in peccato mortali hostiam elevat, et eum ea populum benedicit: 1^o quia haec est propria sacri officii functio, a qua quoad se suspensus est minister gravis peccati reus: et quae idem sub interminatione divini iudicii prohibita est ab Ecclesia, ut patet ex citatis Gregorii IX textibus: 2^o quia is populum cum hostia benedicendi actus sine gravi indecentia exerceri nequit ab eo qui inimicus Christi est, ejusque oculis ipso demone pejor. Quia tamen in eo casu non dispensat proprie sacerdos merita et sanguinem Christi, minus peccat quam si sacramentum conficeret aut administraret.

(67. Colliges 6^o novi etiam gravisque peccati conscius esse diaconos et subdiaconos qui ordinum suorum functiones in eodem statu exercent: 1^o quia hic locum habent probationes initio adductae, quarum nonnullae diaconos specialiter tangunt; 2^o quia ex S. Thoma ibi statim: « Quicumque cum peccato mortali aliquid sacrum officium pertractat, non est dubium quin indigne illud faciat; unde patet quod mortaliter peccet; » atqui ipsi etiam subdiaconi, de quibus magis ambigitur, sacrum officium pertractant; ergo. Et certe ideo subdiaconos in praesenti casu excusant plures a peccato gravi, quia eorum actio non est sacramentalis: atqui haec ratio non est solida, aut saltem non eo usque solida est ut dubium tollat. Quia ut quis in functione ecclesiastica mortaliter peccet sufficit ut ea functio Ecclesiae nomine exerceatur, ut sacra; quidquid enim taliter exercetur, et grave est, et plurimum exigit reverentiae: atqui subdiaconorum

functio Ecclesiae nomine exercetur ut sacra; et revera talis est, cum ad Eucharistiae confectionem proxime inserviat; ergo. Atque ita docet Nat. Alexander, lib. II, art. 2, reg. 10; Paulus a Lugduno, Navarrus et Habert, qui ex eodem principio deducit lethaliter peccare eos qui sacramentalia exercent, quales sunt benedictiones aquae, chrismatis, olei, tonsura clericalis. Censent tamen non pauci, nec laxiores, in benedictione aquae laustralis, cinerum, abbatis, vestium sacerdotalium, imo et consecratione templorum, censurarum inflictione ac similibus quae nec gratiam ex opere operato conferunt, nec sunt sacramenti materia, nihil esse quod peccati venialis lineam excedat: ita P. Antoine. Aliud est, inquit, de chrismatis et olei infirmorum benedictione; quia episcopus per ordinationem suam specialiter consecratur ad utramque illam actionem: unde in utraque exhibet se ut ministrum Christi, ejusque personam immediate sustinet: ac proinde gravem ei facit injuriam, cum actiones illas in statu peccati exercet.

(68. Quod spectat ad clericos minores, nihil est unde functiones suas male obundo lethalis culpae arguantur; tum quia in id conspirant theologi pene omnes; tum quia eorum munia hodie a laicis perinde ac clericis exercentur; tum denique quia functiones eorum nimis distant ab actione sacrificii.

(69. Excipiendi viderentur exorcistae, nisi, juxta praesentem Ecclesiae disciplinam, munus eorum quadantenus foret sacerdotale. Ratio est quia graviter dedecet ut qui sponte diaboli mancipium est, eidem in nomine Christi, cui actu exosus est, imperare praesumat; nec dubium est quin excipi mereatur, sicut excepti sunt a demone pessimo Sceva filii de quibus Act. XIX, hinc ordinator episcopus his exorcistas verbis alloquitur: *Tunc recte in aliis demonibus imperabitis, cum prius in vobis eorum multimodam nequitiam superaveritis.*

* De sacris concionatoribus S. Thomas in 4 Senten., dist. 19, quaest. 2, art. 2, quaestione 2, in respons. ad 4: « Dicendum quod docere sacram Scripturam dupliciter contingit. Uno modo, ex officio praelationis, sicut qui praedicat docet: non enim licet alicui praedicare, nisi officium praelationis habeat, vel ex auctoritate alicujus praelationem habentis; Rom. XI: *Quomodo praedicabunt, nisi mittantur?* Alio modo, ex officio magisterii, sicut magistri theologiae docent. Dicunt ergo quidam quod ille qui primo modo docet peccat mortaliter, si sit in peccato mortali notorio, non autem ille qui secundo modo docet. Sed hoc est falsum, quia eorum qui docent sacram Scripturam est idem finis et eorum qui sacram Scripturam ediderunt: unde cum ad hoc ordinetur Scripturae edoctio, ut ad vitam aeternam homo perveniat, ut patet Joan. X, quicumque impedit finem doctrinae docendo, peccat: impedit autem qui sacram Scripturam in peccato docet, quia ore se profitetur nosse Deum, factis autem negat. Et dicendum quod ille,

qui est in peccato notorio, peccat sive sic, sive sic doceat: sed ille qui est in peccato occulto, peccat si primo modo doceat, non autem si secundo. » Et in *Comment. in psal. XLIX, Operum ejusd.* edit. Rom., 1570, t. XIII, fol. 66, col. 2 et seq. « Nunquid qui in statu peccati mortalis est, peccat mortaliter, quando prædicat vel docet? Dicendum quod ejus peccatum aut est publicum vel occultum: et si occultum, vel est ex contemptu et sine pœnitentia aut cum pœnitentia. Dicendum est ergo quod, si aliquis est in peccato publico, non debet publice prædicare vel docere. Et dico *publico*, quia si peccatum non est publicum, posset cum charitate occulte fratrem suum de peccato etiam minori, quam sit suum peccatum occultum, reprehendere, reprehendendo tamen seipsum. Si vero est in peccato occulto, et sine pœnitentia, tunc provocat Deum, qui simulat. » *Proverb. xi*:

MINOR, MINORENNIS.

Vid. verb. ÆTAS, BENEFICIA, CONTRACTUS, EMPTIO, VENDITIO, FILIUS, RESTITUTIO IN INTEGRUM.

MINORITÆ.

SUMMARIUM.

1. Minoritæ fratres custodiæ Terræ Sanctæ soli exercere possunt munia parochialia in Græco-Melchitis patriarchatus Antiocheni, absente paroco

(1. Minoritæ fratres custodiæ Terræ Sanctæ soli exercere possunt munia parochialia in Græco-Melchitis patriarchatus Antiocheni, absente paroco Græco. Bened. XIV, tom. 1, constit. 86, incip. *Demandatam*, § 13. (2. Eorum guardianus S. Sepulcri seu Terræ Sanctæ potest conferre sacramentum confirmationis, absentibus episcopis Latini ritus, cum oleo et chrismate a catholico antistite benedictis, etiam antiquis, si nova haberi non possunt. Idem const. 10, incip. *Cum ad infrascriptam*. (3. Ab eodem potest sub conditione conferri Græcis Melchitis a simplici sacerdote confirmatio, absente episcopo Græco catholico. (4. Idem constit. 87 incip. *Demandatam*, § 14. (5. Ubi vero sit episcopus catholicus residens, hujusmodi sacramentum non conferat, nisi de ejusdem episcopi consensu; eo autem dissentiente, absteat. Idem, *ibid.*

(6. Franciscani Observantes missionarii quibusdam Ecclesiis et missionibus Cochinchinæ discedere jubentur decreto visitatoris Apostolici. Idem constit. 3, incip. *Quantopere*, § 7. Inde appellant ad S. Sedem. Idem, *ibid.*, § 9. (7. Et decreta prius confirmata revocantur, ipsaque in pristinum restituuntur. Idem, *ibid.*, § 11. (8. Adjecta lege conservandi missiones sibi adjudicatas, eaque non deferendi. Idem *ibid.* § 15. (9. Iis que permittitur prædicare in regnis Ciampæ, et Cambodiæ, non tamen aliis exclusis. Idem *ibid.* § 10.

(10. Franciscani missionarii in Ægypto laborantes laudantur a laudato Pontifice

Simulator ore decipit amicum suum. Et de his loquitur hic sicut dicit glor. Augustini: « Lingua laudare non præsumat cui contradicit conscientia. » Si vero peccatum est occultum, et dolet, non peccat prædicando vel docendo, etiam si publice loquatur contra peccatum; quia sic detestando aliorum peccata, detestatur etiam suum. » Neque vero in *Comment. in Epistolam secundam ad Corinthios*, lect. 1, in cap. iv, mortaliter peccare solos peccatores publicos, et famosos statuisset, non autem etiam alios, ut antea docuerat, censendus est, propterea quod scribat: « Unus publicus et famosus peccator cavere debet sibi, ne prædicet, alias peccat. » Non enim ibi de utroque peccatorum genere publicorum et occultorum quæstionem instituit, sed de publicis tantum loquitur, ut Apostoli verba quæ explicat postulabant*.

Græco. — Guardianus d. Minoritarum S. Sepulcri, seu Terræ Sanctæ potest conferre sacramentum confirmationis, absentibus episcopis Latini ritus, cum oleo et chrismate a catholico antistite benedictis. Alia Minoritas spectantia ad n. 16.

tom. I, constit. 129, incip. *Eo quamvis tempore*, § 2. (11. Franciscani instituti spiritus, quod ad jurisdictionem parochorum, e documentis S. P. Francisci et S. Bonaventuræ demonstratur. (12. Idem, *ibid.*, § 15, ubi, adductis verbis Testamenti dicti S. P. Francisci et S. Bonaventuræ in tractatu: *Quare fratres Minores prædicent*, subjungit: « Licere tantum fratribus ordinis Minorum S. Francisci custodiæ Terræ Sanctæ parochialia munia obire circa Græcos Melchitas, eisque sacramenta administrare in iis locorum et temporum circumstantiis, quibus omnino deficiat modus habendi parochum, aut alium antistitem Græci ritus. »

(13. Advertendum quod nos fratres Minores (quidquid scripserit aliquis in contrarium) possumus ac debemus addere in *Confiteor* nomen nostri sancti patriarchæ Francisci, dicendo: « Sanctis apostolis Petro, Paulo, beato Patri nostro Francisco, etc. » et ita dicendo « Sanctos apostolos Petrum, et Paulum, beatum Patrem nostrum Franciscum, etc. » Cui non obstat decretum Sacræ Congregationis, diei 20 Mart. 1706, loquente ipso de iis qui illud non recitant ex speciali privilegio, *Regulares absque speciali privilegio*, etc., quo nos gaudemus ex ritu tradito a S. Bonaventura, anno 1260, relato in *Orbe Seraphico*, tom. III, n. 30, a quo recedere non possumus ex sanctis a Julio II et Clemente X citat. in rubricis nostri novissimi Franciscani Breviarii n. 129, ibi: « Quoad cæremonias vero et alia ad recte et sancte reddendum Domino sacrificium

laudis, quoquomodo necessaria et opportuna observanda sunt documenta a sancto Bonaventura edita, necnon ordinationes capitulorum generalium, Apostolica auctoritate confirmatæ: ac proinde Rituale, constitutiones et doctrinæ in firmamento trium ordinum contentæ ibidem a san. memor. Julii II et tandem a fel. record. Clemente X in *Brevi Ex commissi Nobis*, 28 Augusti 1671, cum aliis recentioribus, approbatæ, et sub nonnullis pœnis pro tunc et nunc observari mandatæ: » Ac ideo in Missalibus, et Breviariis Franciscanis in *Confiteor* rite appositum est post nomina SS. apostolorum Petri et Pauli, nomen S. Patris nostri Francisci. Et insuper ad id habemus personalem confirmationem Innocenti XIII, qui assistendo nostro capitulo generali Romæ celebrato 15 Maii 1723, non solum id approbavit in publica confessione omnium vocalium, sed et sibimetipsi complacuit repetere, dicendo: « Precibus et meritis beatæ Mariæ, etc., beatorum apostolorum Petri et Pauli, et beati Patris vestri Francisci, etc.; » uti apparet ex supra laudato capitulo generali edito Romæ anno 1730. Et ad id accedit totius religionis universalis, ac inveterata consuetudo, quæ, quasi altera lex, parem obligandi obtinet potestatem, c. *Consuetudo* 5, dist. 1, l. *De quibus* 31, ff. *De legib.*, l. *Ditura consuetudo* 35, et l. *Sed ea* 35, ff. eod. Consuetudo namque est optima legum interpres; L. *Si de interpretatione* 37, ff. *De legibus*, cap. *Cum dilectus* 8, *De consuetudine*, cum similibus. Et hæc sententia expresse traditur sub n. 168, in cæremoniali Medionali impresso anno 1744 ab eruditissimis Patribus reformatis illius provinciæ collecto ex cæremonialibus Romanis et Franciscanis.

DECRETA.

(14. *Decretum quo disposita atque sancita a P. vicecommissario generali ordinis Min. Observ. Reformat. S. Francisci pro conventibus recessus, seu recollectionis nuncupatis confirmantur.*

« Sacra congregatio super disciplina regulari, expenso tenore epistolæ circularis vicecommissarii generalis Min. Observantium Reformatorum S. Francisci, datæ die 9 Januarii 1707, in qua sub n. 7 ubi de conventibus recessus, seu recollectionis agitur, hæc habentur: « E in detto convento, o conventi, ne'quali dovrà attendersi al solo spirito di divozione, ed orazione, non vi potrà essere studio, ne'lettori, o altro religioso esente da qualunque atto comune. » Et mature perpensis omnibus, et singulis deductis tam a d. vice commissario generali, et procuratore generali et strictioris Observantiæ sancti Francisci ex una, quam Patribus habitantibus in conventibus recessus provinciarum reformatarum Marchiæ et Bononiæ partibus ex altera, pro stabilitate conventuum recessus, sive recollectionis cum peculiaribus legibus rescripsit: « Executioni mandetur in omnibus provinciis prædicta Epistola circularis

vicecommissarii generalis, sub die nona Januarii 1707. Et tam superiores generales, quam provinciales omnino provideant conventui recollectionis, alias sacra congregatio providebit.

« Dat. Romæ, hac die 24 Martii 1708.

« J. R., card. imperialis præfectus. »

(15. *Decretum de instituendis in unaquaque provincia strictioris Observantiæ S. Francisci conventibus spiritualis recessus pro religiosis ferventibus, ad præscriptum epistolæ circularis P. a Monte-Bufo vicecommissarii, alias a sacr. congr. confirmatæ.*

« Cum ad aures sacræ congregationis super disciplina regulari pervenerit, et multiplici fide dignorum testimonio fuerit comprobatum, in multis provinciis strictioris Observantiæ S. Francisci per Italiam et insulas adjacentes, epistolam circularem vicecommissarii generalis a Monte-Bufo datam 9 Januarii 1707 et ab hac sacra congregatione confirmatam 24 Martii 1708, plenum non sortiri effectum quoad demandatos spiritualis recessus conventus; volens propterea sacra congregatio, ne talis inobservantia in regularis disciplinæ detrimentum diutius protrahatur, opportune et efficaciter providere, re mature discussa, auditisque pluries, tum voce, tum scripto, superioribus ordinis, referente eminentissimo Fabrono, rescripsit; pro omnimoda observantia præfatæ epistolæ circularis vicecommissarii generalis a Monte-Bufo confirmatæ, ut supra, a sacra congregatione, destituendis in unaquaque provincia supradictis conventibus spiritualis recessus pro religiosis ferventioribus; et non concedatur licentia admittendi ad habitum et professionem, nisi in provinciis in quibus sacræ congregationi constiterit præfatos conventus re ipsa institutos esse, ac sedulo et cum effectu a superioribus generalibus detur notula, ubi sint respective instituti dicti conventus.

« Romæ, 10 Decembris 1714.

« J. R., card. imperialis præfectus. »

(16. *Decretum consimile præcedenti pro Minoribus Observantibus S. Francisci.*

« Cum ad aures sacræ congregationis super disciplina regulari pervenerit, et multiplice fide dignorum testimonio fuerit comprobatum in multis provinciis Minorum de Observantia Sancti Francisci per Italiam, et insulas adjacentes, Breve san. mem. Innocentii XI, quod incip. *Militantis Ecclesiæ*, etc., editum die 22 Novembris 1679, plenum non sortiri effectum quoad demandatos recollectionum conventus; volens propterea eadem sacra congregatio ne talis inobservantia in regularis disciplinæ detrimentum diutius protrahatur, opportune et efficaciter providere, re mature discussa auditisque pluries, tum voce, tum scriptis superioribus ordinis, referente eminentissimo Fabrono, censuit supersederi pronunc in expeditione novi brevis, sed omnino servandam esse dispositionem brevis san. mem. Innocentii XI 22 Novembris 1679, de non concedenda